



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 4. In cœlo stellato, & sub eo Monstra esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

6 Cap. I. Quid, quām varia,

diabolum pingit, cūm Angelum formosum destināset, is effectus, non arti, sed imperitiæ artis est attribuendus. Vnde, si ad mentem pingere volentis attendamus, monstra possunt dici, sed artificis verius, quām

Matth. 6
26 & 8.
20. & 12
13. Plin.
lib. 2 c. 38.

artis. Naturæ autem monstra, quæ non sunt præter mentem summi Opificis, sed præter peculiaris duntaxat naturæ finem, in omnibus subinde elementis gigni, immo non tantum supra nos in aëre, qui in sacris & profanis libris *cælum* appellatur, sed etiam in *cælo* ipso superiore conspici, historiæ narrant, docet experientia, ocu-li testantur.

§. IV.

In cælo stellato, & sub eo Monstra esse.

Nam, si quis cometas siue in aëre accessos & extinctos, siue in *cælo* sublimiore natos, aut eò tandem promotos, ex hac classe vult eximere; si & stellam, quæ Matth. 2. Magos ad Christum natum utique prodigiosè perducens aliquid significando monstrauit, atque extra naturæ ordinem astrorumque vias visa est per aërem decurrere; si nouam illam, quæ, anno salutis nostræ 572. supra millesimum, per biennium, inter fixas stellas, in Cassiopea apparuit, stellam

¶ ubi sunt monstra?

stellam nullum extraordinarium naturæ effectum putat fuisse, ipse potest pro monstro haberi. In cælo etiam stellæ circa solis orbem visæ sunt, Augusto Cæsare, post mortem patris, in prima iuventa urbem intrante. Et circa solem arcus apparuit L. Opimio, & Q. Fabio Coss. Trini soles Sp. Posthumio, & Q. Minutio Coss. trinæ Lunæ Cn. Domitio & L. Annio Coss. splenduerunt. Deniq; Christo moriente, quām monstrosè sol est obscuratus? In aëre certè ipsa diuina litteratura imagines eiuscmodi, quales sub initium Suedici belli pugnantium inter se nubium, velut exercituum, conspectæ sunt, *monstra* nominantur. Ita enim loquitur: *Contigit autem, (An-* 2. Mach², *tiocho secundam profectionem in Aegy-* 5. 2. *ptum parante) per uniuersam Ierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta, per aëra equites disurrentes, auratas stolas habentes,* ¶ *hastis, quasi cohortes, armatos, & currus equorum per ordines digestos, & congresiones fieri comminus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinē gladijs districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendor, omnisq; generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum MONSTRA conuer-*

¶ Cap. I. Quid, quām varia,

Plin. l. 2.
cap. 24.
S. Augu-
stin. l. 12.
de ciuit.
c. 8.

ti. Itaque & in ipso cælo stellæ repente nascun-
tur, ait Plinius, & stella noua Cassiopeæ,
& illa vetus stella Veneris, quām D. Augu-
stinus, ex libris M. Varronis refert, sub
rege Ogyge, magnitudinem, figuram, &
cursum mutauisse, & nuper visi satellites

Iouis, & si quid aliud insoliti natura in-
astris, aut sub astris parit, testantur vel
monstra subinde quædam inibi, vel mon-
strosa emergere. Qualia non Machabæo-

Daniel. 8.
3. Plin.
l. 2. nat.
hist. c. 57.

rum duntaxat liber, aut Danielis Prophe-
tæ, qui arietem vidit multicornem, sed eti-
am profani scriptores referunt. Plinij hæc
sunt: *Armorum crepitus, & tubæ sonitus*
auditos è cælo, Cimbricis bellis, accepimus,
crebrosq; & priùs, & postea. Tertio verò con-
suratu Marij, ab Amerinis & Tutertibus
spœlata arma cœlestia, ab ortu occasuq;, in-
ter se concurrentia, pulsis, quæ ab occasu
erant. Ipsum ardere cælum, minimè mirum
est, & sepius visum, maiore vi ignis nubibus
correptis.

§. V.

Ignium Monstra.

Quod si pro monstro habendum est, &
igni, & aëri ascribi potest. Vti & quando
cælum sanguinea specie apparuit, Philippo
Græ.